

nec inferiori spe, quod, inter Hispaniæ ac Galliæ Reges pacæ sancta, orbi christiano spes affulgere videbatur; ut ea arma, quibus per tot annos in reipublicæ christianæ perniciem depugnatum fuerat, in barbarorum pectora conderentur. Quia in re magnus in Clemente ardor, ingens solicitude extitit, veluti felici nuper eventu, ad majora multo atque ampliora raperetur.

Inter hæc novæ ditionis desiderio visendæ Ferrariam proficisci statuit, cuius antea nepos gubernaculis suscepit, vestigalibus aliquot abrogatis, beneficiis immunitatibusque concessis, annonæ ubertate curata, populi sibi gratiam studiaque conciliaverat. Clemens vero, religiosa pietate Deo Optimo Maximo Deiparaeque Virgini civitate consecrata, sanxit, ne in posterum eæ ditiones concedi beneficiario jure, aliave ratione tradi alicui possent, sed perpetuo in Ecclesiæ imperio retinerentur. Iter summa pompa, universa aula, omnibusque ferre Purpuratis comitantibus, per Umbriam, Aemiliam, Flaminiam, undique rei novitate effusis populis, habuit, quod multis ab inde annis Roma circumiectisque locis Pontifices minime digressi fuissent. Complures Principum legatione Ferrariam ad Clementem salutandum recensque imperium gratulandum confluxere. Lecta quoque ad id insignium Senatorum a Venetis legatio, in qua fuere Jacobus Fuscarenus, Joannes Superantius, Leonardus Donatus, Paulus Paruta, cuncti equestris ac procuratorii ordinis; cum iis una Joannes Mocenicus, Delphino in ordinaria legatione successor, est profectus. Publico nomine Clementi gratulati, obsequium Reipublicæ in Apostolicam Sedem, atque in eumdemmet Pontificem amplissimis verbis testati sunt: nulla in eos vel benivolentiæ, vel honoris argumenta a Clemente prætermissa. Ingens tota Italia Ferrariam concursus, ut ex ea mutatione decoris dignitatisque incrementum suscepisse videretur. Ac veluti nemo fere Venetiis fuit, qui ad pontificiam majestatem, Romanæque curiæ adspectum eo non convenerit; ita ex Purpuratorum numero vix unus aut alter extitere, qui Venetas non accesserit, ut insuetam circumfusamque aquis urbis faciem intueretur; quorum plerique omnes qui antea non viderant, situ, populi frequentia, basilicarum templorumque religioso cultu, navalibus aliisque

1598

*Clementis
Pont. de-
cretum dæ
Ferraria
nunquam
alienanda.*

*Clemens
Pont. Fer-
rariam pro-
ficiscitur.
Legati Ve-
neti ad Cle-
mentem
Pontif.
Ferrarie
degenem.*